

Christo ponatur voluntas ut ratio, necesse est etiam ponere electionem, et per consequens liberum arbitrium, cujus actus est electio, ut in prima parte habitum est¹.

Ad primum ergo dicendum, quod Damasc. excludit a Christo electionem, secundum quod intelligit in nomine electionis impertiri dubitationem. Hæc tamen dubitatio non est de necessitate electionis, quia etiam Deo convenit eligere, secundum illud Ephes. 1: Elegit nos in ipso, etc., cum tamen in Deo nulla sit dubitatio. Accidit tamen dubitatio electioni, in quantum est in natura ignorante. Et idem dicendum est de aliis, de quibus fit mentio in auctoritate prædicta².

Ad secundum dicendum, quod electio præsupponit consilium, non tamen sequitur ex consilio, nisi jam determinato per iudicium. Illud enim, quod iudicamus agendum post inquisitionem consilii, eligimus, ut in 3 Ethicorum dicitur³. Et ideo, si aliquid iudicetur ut agendum absque dubitatione et inquisitione præcedente, hoc sufficit ad electionem. Et sic patet, quod dubitatio sive inquisitio, non per se pertinet ad electionem, sed solum secundum quod est in natura ignorante.

Ad tertium dicendum, quod voluntas Christi, licet sit determinata ad bonum, non tamen est determinata ad hoc vel ad aliud bonum. Et ideo pertinet ad Christum eligere per liberum arbitrium confirmatum in bono, sicut ad beatos.

DISPUTATIO XXXVII,

In quinque sectiones distributa.

DE VOLUNTATE HUMANA CHRISTI, EJUSQUE LIBERTATE.

De hac sola facultate animæ Christi superest nobis disputare, quam disputationem in hunc locum distulimus, ne a D. Thomæ ordine recederemus; nam alioqui disputanda fuisset statim post tractatum de intellectu, prius quam de appetitu sensitivo diceremus. De hac autem potentia duo disputanda videntur. Primo, de ipsa potentia et modo operandi quem in Christo habuit; deinde de actibus et efficacia ejus, nam cætera, quæ de ejus virtutibus desiderari possunt, supra, q. 7, satis disputata sunt.

¹ Ibid., et 1. 2, q. 13, art. 1.² Citata in arg. 1.³ C. 2 et 3, tom. 5.

SECTIO I.

Utrum in Christo fuerit voluntas humana.

1. Errores, qui circa quæstionem hanc olim fuerunt, satis in expositione textus D. Thomæ explicati sunt, ex quibus, qui processerunt ex aliis erroribus, scilicet, quia vel negarunt duas naturas, vel unam personam Christi, satis in superioribus refutati sunt. Monothelitæ vero proprie sunt hoc loco refutandi; eorum tamen sensus ambiguus est, quia, ut refert Agat. Pap., in epistola quæ refertur VI Synod., act. 4, tam varie tamque confuse locuti sunt, ut vix satis constet quo sensu errorem suum asseruerint. Imprimis vero certum est, illos non negasse habere Christum divinam voluntatem; cum ergo dicebant Christum tantum habere unam voluntatem, constat in eum errorem incidisse, quia putabant, Christum carere humana voluntate. Sed hoc quatuor modis asserere potuerunt. Primo, negando duas naturas Christi, et ita refert hunc errorem Præteol., verbo Monophysitæ. Secundo, non negando duas substantiales naturas, sed tantum ipsam potentiam voluntatis humanæ, et hoc sub dubitatione indicat Castro, verbo Christus, hæres. 6. Tertio, non negando potentiam, sed omnem ejus actum, ut Cajetanus hic interpretari videtur. Quarto, nec potentiam, nec omnem actum simpliciter negando, sed solum propriam determinationem, vel deliberationem voluntatis humanæ, ita ut dixerint, voluntatem Christi esse unam, unitate motionis liberæ, ut, sicut actio eleemosynæ dicitur una moraliter, quia unica motione libera fit, licet physice plures actiones vel facultates requirat, ita isti intellexerint, voluntatem Christi humanam non potuisse operari se movendo, et applicando libere ad actus suos, sed solum ex determinatione voluntatis divinæ, et ideo unam Christi voluntatem vel operationem affirmarint. Quomodo videtur D. Thomas exponere hunc errorem, 4 lib. contra Gent., c. 36, et q. seq., art. 1; et sumitur ex Agath. Papa supra. Sed hic postremus sensus pertinet ad sectionem sequentem; nunc contra secundum et tertium breviter dicendum est, nam de primo in superioribus fuse satis dictum est; quid autem Monothelitæ senserint, incertum est, ut dixi. Quantum vero ex VI Synodo, act. 4, in ep. Agathonis, et act. 8, 10 et 11, colligi potest, verisimilius est tam secundo quam tertio mo-

do negasse in Christo humanam voluntatem, potentiam, scilicet, et operationem; et hoc significat D. Thomas hic, et citatis locis.

2. Dico primo, in Christo Domino fuisse humanam seu creatam voluntatem. Conclusio est de fide, definita in VI Synod., act. 4, 8, 11 et 18, ubi traditur esse in Christo duas voluntates. Idem in VII Synod., act. 7, in definitione fidei; et in Lateran., sub Martino I, can. 11, quibus locis multa ex sacra Scriptura et Patribus referuntur in confirmationem hujus veritatis, præsertim illa in quibus Christus Dominus suam voluntatem a Patris voluntate distinguit, ut Matth. 26: *Non sicut ego volo, sed sicut tu*; et Luc. 22: *Non mea voluntas, sed tua fiat*; et Joan. 5: *Non quero voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me*; et c. 6: *Descendi de celo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me*. Et illa, in quibus Christo tribuitur obedientia, quæ cadere non potest nisi in voluntatem creatam, ad Phil. 2: *Factus obediens usque ad mortem*; Joan. 4: *Cibus meus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me*. Et similia multa congerit Leo Papa, epist. 19 et 83; Caius Pap., ep. ad Felicem; Agap. Papa, ep. ad Ant. Rationes etiam sunt evidentes. Prima est Agat. Papæ, supra dicta epistola, qua etiam sæpe utitur Damasc., lib. 3, c. 14: *Quia voluntas, inquit, est naturalis, non personalis, id est, sequitur naturam, non personam*. Unde in Deo est una voluntas omnium personarum propter unitatem naturæ, non triplex propter distinctionem suppositorum; ergo, e contrario, in Christo Domino sunt duæ voluntates propter duas naturas, non una propter personam unam; ergo præter voluntatem divinam est in eo voluntas humana. Secunda est D. Thomæ hic, et explicat præcedentem, quia voluntas est naturalis proprietas, necessario consequens humanam naturam, et pertinet ad magnam perfectionem ejus; sed omnia naturalia fuerunt in Christo integra et perfecta; ergo. Tertia sumi potest ex fine incarnationis, quæ fuit mereri et satisfacere pro hominibus; sine voluntate autem creata nullo modo esse potest meritum vel satisfactio; ergo fuit in Christo voluntas creata.

3. Dico secundo, in Christo non solum fuisse hanc voluntatem, quoad ipsam facultatem seu actum primum, sed etiam fuisse expeditam ad operandum et eliciendum proprios actus secundos distinctos ab actu increato divinæ voluntatis. Quod etiam de fide est, ex eisdem

definitionibus, testimoniis et rationibus. Sacra enim Scriptura potissimum de actibus loquitur, et Concilia eodem modo de potentia et actibus loquuntur; et merito, quia potentia est propter operationem, et præsertim in præsentia materia, quia meritum et satisfactio non consistit in ipsa potentia, sed in actibus ab illa elicitis. Neque hic occurrit specialis difficultas. Legantur quæ afferuntur de hac re in VI Synodo act. 4 et 10; et Damasc., lib. 3, c. 15.

SECTIO II.

Utrum voluntas Christi humana fuerit libera ad operandum.

1. Hæretici, qui universaliter negant liberum arbitrium in humana natura, consequenter illud in Christo negabunt. Sed non est hujus loci generaliter errorem illum refutare, sed potius supponendum est, voluntatem humanam ex sua natura esse liberam; et inquirendum an in Christo Domino hac libertate privata fuerit propter aliquam singularem causam, vel perfectionem. In qua re nihil invenio specialiter ab hæreticis dictum esse, præter ea quæ de Monothelitæ, sectione præcedenti explicavi. Inter Scholasticos vero, quamvis omnes consentiant, et simpliciter affirmant voluntatem Christi fuisse liberam, ut videre licet in D. Thomæ hic; Alens., 3 p., q. 16, et aliis, cum Magist., d. 18; Bonaventura, art. 1, q. 1, et q. 2, ad 2; Rich., art. 1, q. 1; Scoto, q. 1; Durand., q. 1; Palud., q. 2, art. 2; Gabriele, art. 3, dub. 1; Marsilio, q. 12, art. 1, concl. 1; tamen in modo explicandi hanc libertatem est nonnulla diversitas. Dupliciter enim potest voluntas dici libera, scilicet, vel tantum a coactione, quia voluntarie operatur, et non coacte; vel etiam a necessitate, quia, scilicet, aliquo modo habet in sua potestate operari et non operari. Quidam ergo voluntatem Christi faciunt liberam priori tantum modo, et non posteriori, ut evitent difficultates quæ sunt in salvanda Christi libertate, quoad indifferentiam, et earentiam necessitatis. A qua sententia non multum discrepat Gabriel supra; vide ibi Marsil., q. 12, ad 4 principale; quam nonnulli moderni amplectuntur. Quin potius etiam D. Thomas, in 3, c. 48, q. 1, art. 2, ad 5, in 2 solutione illius, hanc sententiam ut probabilem relinquit. Sed nunquam D. Thomas in partibus hoc docuit, sed sæpe contrarium; est enim illa sententia omnino falsa et improbabilis.

2. Dico primo, voluntatem humanam Christi fuisse proprie ac perfecte liberam in actibus suis. Conclusio est de fide, quam hic art. 4 probat D. Thom., in argumento Sed contra, ex illo Isai. 7: *Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum, et eligere bonum*, quia electio actus est facultatis liberæ. Et ita exponit illum locum Basil. ibi, ubi comparat libertatem quam habuit Christus etiam in infantia, cum libertate quam habuit Adam in statu innocentiae. Et eodem sensu Cyril., libr. 1 in Isai., orat. quarta, sub finem, dicit eam facultatem libere eligendi, quæ aliis hominibus discursu ætatis advenit, in Christo Domino ab infantia fuisse. Et idem optime declarat ibi Hieronymus; et ex hoc loco colligit etiam Augustinus, lib. 8 Genes. ad litter., cap. 14, scivisse Christum *reprobare malum*, per electionem et prudentiam, non per experientiam, scilicet, mali culpæ. Secundo hoc probari potest ex illo Isa. 53: *Oblatus est, quia ipse voluit*. Illo enim dicendi modo, actio vel passio libera significari solet in Scriptura. Unde Hieronymus ibi illam voluntatem necessitati opposuit, dicens: *Non necessitate, sed voluntate crucem subiit*. Et infra probat, verba illa non esse intelligenda de Christo, solum ratione voluntatis divinæ, sed ratione humanæ; quia Christus ut homo præcognovit et prædixit passionem suam et tempus ejus, illique summa ac libera voluntate se obtulit. Quod etiam confirmant verba illa ipsius Christi, Joan. 10: *Ego pono animam meam; nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a me ipso*, etc.; ubi Cyril., lib. 7, c. 7, hæc verba confert cum citato loco Isaïæ, late agens de hac Christi libertate, quamvis liber ille non sit Cyrilli; Chrysost. vero, hom. 59 in Joan., inde colligit Christum habuisse liberam facultatem vitandi mortem. Tertio, in hujus veritatis confirmationem afferri possunt omnia testimonia Evangelii, in quibus Christo homini tribuitur electio, Luc. 6, Joan. 6, 13 et 15, nam electio actus libertatis est. Unde Joan. 7, de illo dicitur: *Ambulabat Jesus in Galilæam, non enim volebat in Judæam ambulare, quia volebant eum Judæi interficere*. Hæc enim verba, et similia, satis significant liberam voluntatem. Idemque est de illis testimoniis quæ sunt de Christi obedientia et præcepto illi a Patre imposito, de quibus quæstione vigesima agemus. Non est enim voluntas capax præcepti et obedientiæ, nisi sit libera. Quis enim præcipiat alicui necessarium actum, quem non possit non operari? Unde

Sancti Patres de nostra libertate disputantes ex hoc potissimum principio illam colligunt, quod sumus capaces præcepti et obedientiæ, præmii et meriti, ut videre licet in Irenæo, lib. 4, c. 71, ubi Franciscus Feuardentius multa alia congerit. Quarto, Concilia citata sectione præcedenti revera hanc etiam veritatem definire intendunt. Primum quidem, quia generaliter definiunt, in Christo fuisse omnes proprietates naturales, et propriam operationem humanæ naturæ: una autem ex his proprietatibus est liberum arbitrium, et operatio maxime propria hominis est operatio libera. Deinde, quia omnino damnant hæresim Monothelitarum, qui hoc potissimum sensu negabant esse in Christo duas operationes; non enim negare poterant operationes humanas quasi materialiter, et quoad substantiam earum, sed quoad modum actionis liberæ. Quia existimabant humanam naturam Christi nunquam operari, ab intrinseco se movendo, sed necessario motam et determinatam a divina voluntate. Concilia vero in contrario sensu definiunt duas operationes, ut præsertim explicat clarissime Agatho Papa, in citata epistola. Quinto, ex Patribus bene hoc tractat et confirmat Anselmus, libro *Cur Deus homo*, a c. 8, et lib. 2, a cap. 16. Et Gregorius, lib. 24 Moral., c. 2: *Omni, inquit, necessitate calcata, cum voluit, mortem sponte suscepit*. Et Augustin., lib. de Prædest. Sanctorum, c. 15, inquit: *An ideo non in illo libera voluntas erat, et non tanto magis erat, quanto magis peccato servire non poterat?* Idem lib. 4 de Trin., c. 13; Basil., lib. de Spirit. Sancto, c. 8; Origen., lib. 2 Periar., c. 6; Damasc., lib. 3 de Fide, c. 13, 14 et 15, ubi distinguit in Christo libertatem divinam et humanam, sicut voluntatem et scientiam, et alias duplices proprietates, quæ duas consequuntur naturas. Idem Nicet., lib. 3 Theol., c. 27. Sexto, rationes jam indicatæ sunt: prima, quia libertas arbitrii est magna perfectio connaturalis homini. Secunda, quia est maxime necessaria ad meritum et satisfactionem. Tertia, quam indicavit hic D. Thomas, art. 4, ad 3, et art. 1, ad 1, quia hæc perfectio manet in beatis, licet omnino viatores non sint; manet etiam in puris viatoribus quantumvis justis et sanctis, et divina gratia confirmatis et gubernatis. Cur ergo non manebit in Christo viatore simul et beato?

3. *Voluntas humana Christi libertate, etiam opposita necessitati, libera fuit.* — Ex quibus infero, et dico secundo, hanc libertatem vo-

luntatis humanæ Christi, non solum intelligendam esse oppositam coactioni, sed etiam necessitati, atque adeo includere indifferentiam aliquam, seu potestatem operandi, et non operandi. Non est sensus, Christum in omnibus actibus suæ voluntatis habuisse hanc indifferentiam; non est enim hoc necessarium, nam Deum clare visum necessario amabat, et necessario illo fruebatur, sicut alii beati; sed sensus est, habuisse Christum hanc libertatem in aliquibus actibus; et hoc sensu existimo certam hanc secundam conclusionem.

4. Quæ primo in genere probari potest ex testimoniis adductis, tum sacra Scripturæ, tum etiam Patrum illam exponentium, et Conciliorum, quæ veram libertatem Christo tribuunt, eamque non a coactione tantum, sed etiam a necessitate distinguunt. Secundo, quoniam in Christo Domino usus libertatis maxime videtur impediri potuisse in eo actu voluntatis, in quo mortem acceptavit sibi a Patre præceptam, propter difficultates infra tractandas; ideo in particulari de hoc actu probatur hæc veritas, ex illo Joan. 10: *Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a me ipso. Et potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc mandatum accepi a Patre meo*. Quibus verbis disertè satis significatur fuisse in voluntaria et libera Christi potestate, non solum acceptare passionem et lethalia vulnera, sed etiam ipsam mortem, prout dicit ipsam separationem animæ a corpore. Et hoc ipsum ait Christus esse in sua potestate, non solum ratione voluntatis divinæ, sed etiam humanæ, secundum quam mandatum a Patre acceperat. Et de hac potestate indifferente ac libera intelliguntur illa verba a Chrys., Theophyl. et D. Thoma. Rupertus etiam, lib. 6 in Joan., in fine, addit: *Potestatem habeo ponendi, et non ponendi*; et quærit: *Quare ergo ponis pro omnibus animam tuam, cum potestatem habeas etiam non ponendi?* Idem significat Greg., 24 Moral., c. 2, ubi ex hoc loco probat, Christum absque ulla necessitate passum esse; et optime August., lib. 4 de Trin., c. 13, ex hoc loco sic colligit: *Qui potuit non mori, si nollet, procul dubio, quia voluit, mortuus est*. Idem elegantissime tract. 119 in Joan., in fine: *Quis ita dormit, quando voluerit, sicut Jesus mortuus est, quando voluit? Quis ita vestem deponit, quando voluerit, sicut Jesus mortuus est, quando voluit? Quis ita, cum voluerit, ob-*

it, sicut, cum voluit, obiit? Habuit ergo Christus potestatem faciendi aliquid in defensionem vitæ suæ, quod tamen volens non fecit, ut ibi considerant Origin., tract. 35; Chrysost., hom. 85, qui ait, illis verbis ostendisse Christum, *quod sponte sua hæc sufferebat*. Et Lyra ibi notat, illis verbis significasse Christum, quod alia via posset evadere, si vellet. Idem fere Hugo Cardin., et D. Thomas. Habuit ergo Christus libertatem cum indifferentia ad opposita; sicut ergo libere noluit se defendere, sed permittere se capi et ligari, ita et crucifigi. Hinc etiam est illud Pauli ad Heb. 12: *Qui, proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta*. Ubi Chrysost., hom. 28: *Hoc est (ait), licebat illi nihil pati, si voluisset, et infra: Erat igitur arbitrii illius, non venire ad crucem, si voluisset*. Et statim affert citata verba Christi: *Potestatem habeo ponendi animam meam*, etc.; et concludit: *Si igitur nullam necessitatem habuit, ut crucifigeretur, crucifixus est propter nos*. Similia habent Theophylactus, Hugo, D. Thomas. Denique, ad Roman. 15, de Christo ait Paulus: *Etenim non sibi placuit, sed, sicut scriptum est, impropria exprobrantium tibi ceciderunt super me*. Ubi Chrysost. eleganter, hom. 57, interrogat: *Quid est autem, Non placuit sibi ipsi?* et respondet: *Poterat nulla ferre opprobria; poterat, quæ passus est, non pati, si quidem, quæ sua erant, spectare voluisset; verum noluit, sed quod nostrum erat, respiciens, quod suum erat, neglexit*. Quibus verbis aperte describit Chrysostomus libertatem indifferentiæ cum potestate ad utrumlibet, quem Theophylactus, Theodoretus, et alii expositores imitantur; præcipue vero legendus est D. Thomas, qui dicit Christum elegisse mortem præ commodo suo, quod eadem libertatem indifferentiæ denotat. Et revera, si Christus ex necessitate, et non cum prædicta libertate, non sibi placuisset, non esset cur nobis in exemplum proponeretur, ut nos nobis non placeamus, sed proximorum utilitates quæramus. Fuit igitur Christus in illo negotio perfecte liber. Unde Cypr., ser. de Passione Domini, in initio, sic ad Christum loquitur: *Voluntarie obedisti Patri, et non te, ut patereris, coegit necessitas*.

5. Tertio, probatur ex ipsa ratione liberi arbitrii; est enim hæc indifferentia de ratione liberi arbitrii veri ac proprii, ut D. Thomas tradit, 1 p., q. 19, art. 10; 88, art. 1, ad 1. Estque communis sententia Scholasticorum, in 2, d. 24 et 25, ubi late Capreol., Mai. et

alii; Alens., 2 p., q. 73, memb. 2 et 3, et q. 71, memb. 4; Henric., Quodlib. 4, q. 16, et Quodlib. 14, q. 5. Idemque fuit sensus antiquorum Patrum, ut patet ex superius citatis, et ex August., l. 3 de Lib. Arbit., c. 2 et 3; Hieronym., Dialog. 4 et 3 contra Pelag., et ep. 147; Greg. Nyssen., lib. 7 Philos., c. 4 et 3; Damasc., lib. 2 de Fid., c. 7, 25 et 26, et alii passim. Imo et Scriptura ita declarat arbitrii libertatem, Ecclesiastici 15, 1 Cor. 7; denique etiam Aristoteles id docuit, 3 Ethic., c. 5, et lib. 9 Metaph., text. 10. Et D. Thomas, 4 p., q. 41, art. 2, ubi Cajetanus latissime hoc tradit, et q. 82, art. 1, ad 1. Et a posteriori explicatur, quia, si vera libertas arbitrii stare posset cum necessitate, possent omnia ex necessitate et sine contingencia evenire, salva libertate arbitrii, quod est contra sententiam omnium qui de libero arbitrio loquuntur. Unde merito damnatur Wicleph, eo quod dixerit Christum mortuum necessitate, ut videri potest in Wald., in Doctrin., art. 1, c. 25; et Calvinus damnatur ut hæreticus, quia libertatem arbitrii negat, quamvis ille solum neget libertatem necessitati oppositam, non coactioni. Fatetur enim hominem voluntarie et libenter operari, quamvis non possit aliter operari. Et Pius V, et Gregorius XIII, in propriis Bullis contra Michaellem Baium, inter alias illius propositiones hanc damnarunt, quæ numero erat trigesima octava: *Quod voluntarie fit, libere fit, quamvis necessario fiat.*

6. Denique rationes in fine præcedentis conclusionis adductæ, si quid valent, hanc eodem modo convincunt. Quia hæc libertas seu indifferentia, et dominium proprietarum actionum, est naturalis proprietas hominis, et magnam dicit perfectionem, et ad meritum maxime necessaria est. Nam, ut recte dicit Justinus. Apol. 4 pro Christian., ad medium: *Nulla laude esset homo dignus, nisi esset ad utrumque flexibilis*; et Hilarius, lib. 4 de Trinit., tractans illud Joan. 1: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri: Non necessitatem (ait), sed potestatem ut voluntas premium assequatur.* Et D. Hieronymus, lib. 2 contra Jovinianum: *Ubi necessitas, ibi nec corona; ideo liberi arbitrii nos condidit Deus.* Quod in materia de gratia latius demonstratur. Solum superest ut ostendamus, nihil fuisse in voluntate Christi, quod ei necessitatem imponeret; nam, cum hæc necessitas non sit naturalis homini, si aliunde non est illata, evidens est in illo esse non potuisse. Id autem præstabimus solvendo difficultates circa hanc li-

bertatem Christi occurrentes, quæ gravissimæ et difficillimæ sunt.

SECTIO III.

Quomodo voluntas Christi, existens impeccabilis ex unione, potuerit esse libera.

1. *Responsio D. Thom.* — Prima difficultas sumitur præcise ex ipsa unione, per quam Christi voluntas intrinsece facta est impeccabilis, ut supra ostensum est; unde fit, voluntatem Christi ex vi unionis esse determinatam ad unum, scilicet, ad bonum, et consequenter non esse liberam. Respondet divus Thomas hic, ad 3, inde solum fieri, Christi voluntatem esse determinatam ad bonum in communi, non tamen ad hoc vel illud bonum, et ideo ad summum sequi, habuisse necessitatem quoad specificationem honesti ut sic, non vero quoad exercitium, nec quoad hoc vel illud honestum, quod satis omnino est ad libertatem, ut in beatis et in Deo ipso constat; indifferentia enim, seu potestas ad malum, non est perfectio, sed imperfectio libertatis, ut recte Augustinus supra dixit. Quæ solutio optime satisfacit, quoad hoc, ut ex hoc solo capite impeccabilitatis Christi non satis probetur Christum caruisse libertate in omnibus actibus suis; si tamen argumentum urgeatur de speciali actu voluntatis moriendi pro hominibus, non videtur satisfacere responsio; quia voluntas Christi ex vi suæ impeccabilitatis fuit omnino determinata ad hunc actum; ergo saltem in eo actu non fuit libera, quod est omnino falsum, quia eo actu maxime nobis meruit. Antecedens patet, quia ille actus fuit præceptus Christo; ergo non potuit illud præceptum transgredi, quia hoc intrinsece sequitur ex impeccabilitate; imo in re videtur esse idem non posse peccare, et non posse transgredi præceptum. Ergo non potuit non habere actum illum præceptum, cum non posset aliter non transgredi illud præceptum; ergo erat omnino determinatus ad illum actum.

2. *Responsio.* — *Confutatur.* — Hæc difficultas vulgaris est, nunquam tamen satis expedita, unde variis modis illi responderi solet. Prima responsio est, negando, Christum habuisse huiusmodi præceptum. Sed hoc et falsum est, ut ostendam quæst. 20, et non solvit difficultatem, quæ urgeri eodem modo potest in præceptis naturalibus, quibus nullus negare potest, Christum ut hominem fuisse ligatum, seu obligatum.

3. *Responsio secunda.* — Secunda et valde trita responsio est, verum esse, supposito præcepto, Christi voluntatem non potuisse non efficere illum actum, atque adeo mansisse omnino determinatam ad illum, ac denique in sensu composito necessario habuisse illum; et nihilominus simpliciter fuisse liberam, quia simpliciter, seu ablato præcepto, potuisset illum non habere; necessitas enim, quæ est ex suppositione, vel tantum in sensu composito, non tollit libertatem.

4. *Confutatur.* — Sed hæc responsio ita generatim sumpta neque solvit, neque explicat difficultatem; quia vel hæc solutio assumit ut generale principium, nullam suppositionem factam, qua posita in voluntate necessario sequitur actus in sensu composito, efficere ut talis actus simpliciter sit necessarius, et non liber; vel solum indefinite sumit, non omnem suppositionem seu sensum compositum inferre necessitatem simpliciter, vel tollere libertatem. Primum est omnino falsum, primo, quia alias voluntas nunquam posset necessario et sine libertate elicere aliquem actum, etiam de potentia absoluta. Patet sequela, quia nullus est actus quem voluntas necessario efficiat, non facta aliqua suppositione, præsertim loquendo de actibus ad quos voluntas natura sua non est determinata; in in his enim, cum voluntas de se sit libera, si necessitatem pati debet, oportet ut aliquid circa illam fiat vel supponatur, quo posito, sequatur illa necessitas, et ita non posset Deus necessitare voluntatem ad huiusmodi actum, quia non potest illam determinare, nisi addendo vel efficiendo aliquid, ex quo necessario efficiatur talis actus. Consequens autem est contra omnes Theologos docentes, licet Deus non possit cogere voluntatem, posse tamen illi necessitatem inferre. Et ratione patet, quia, licet naturalis modus operandi voluntatis sit liber, si tamen per suppositionem vel motionem extrinsecam fit (sicut fieri potest) ut non permittatur operari illo modo, sed omnino ab alio determinetur ad eliciendum actum, quid refert naturalis libertas voluntatis, quæ solum est veluti in actu primo, ut talis actus non sit simpliciter necessarius?

5. Et confirmatur, quia alias neque amor Dei in beatis esset necessarius necessitate opposita libertati simpliciter, quia solum est necessarius ex suppositione visionis, atque adeo in sensu tantum composito. Si vero dicitur secundum, scilicet, non omnem suppo-

sitionem tollere libertatem, primum relinquatur explicandum, quæ suppositio tollat illam, et quæ sit ratio differentie, et cur suppositio, de qua nunc agimus, illam non tollat. Quæ omnia in dicta solutione omittuntur. Deinde videtur suppositio præcepti, de qua nunc est sermo, esse ex illis quæ tollunt libertatem simpliciter; nam, quando suppositio habet has duas condiciones, scilicet, ut, illa posita, necessario sequatur actus, et illam poni non pendeat ex libertate voluntatis, sed omnino antecedit liberum consensum illius, talis suppositio videtur tollere libertatem, et inducere necessitatem simpliciter; quia tunc neque suppositio est libera, neque dimanatio actus ex tali suppositione, seu ex voluntate sic affecta, est libera, et ita nullibi relinquatur libertas circa talem actum. Sicut, si intentio finis non est libera, et electio talis medii unici necessario sequitur ex intentione, non potest electio esse libera; huiusmodi autem est in præsentis impositio præcepti, quæ non pendet ex voluntate humana Christi, nam ante omnem actum, et liberum consensum ejus, impositum est illi tale præceptum, et facta tali suppositione, non potest non sequi actus: ergo.

6. *Responsio tertia.* — *Confutatio.* — Propter hæc est tertia responsio, præceptum illud dependisse ex ipsa humana Christi voluntate, quia Pater æternus non imposuit Christo tale præceptum, nisi quia Christus ita voluit et petiit. Sed hæc responsio probari nullo modo potest, et primo non generaliter satisfacit, quia non procedit in præceptis, quæ sunt de lege naturæ. Secundo etiam de hoc positivo præcepto redimendi homines, illud dicitur omnino sine fundamento. Imo est parum consentaneum, tum divinæ providentiæ, tum Scripturis, quæ de hoc negotio loquuntur. Primum constat, quia illa responsio ponit, totum negotium nostræ redemptionis primo et per se dependisse ab humana Christi voluntate, et ab illa esse definitum. Est autem per se incredibile, supremum opus divinæ providentiæ et prædestinationis, quasi primam originem habuisse ab humana Christi voluntate. Non ergo divina voluntas decrevit et præcepit ut Christus nos, moriendo, redimeret, quia ipse Christus hoc voluit et petiit, sed potius ideo ipse hoc voluit, quia de hac re mandatum accepit a Patre, ut dicit ipse, Joan. 10 et 14, et infra latius trademus; unde D. Paulus, ad Hebr. 10, exponens Psal. 39, indicat, Christi animam statim in sua crea-